

demia vestrae Socium elegisti, proposuisti et confirmasti. Tu solus me noveras, ideoque hunc honorem mihi concessum a cæteris Academicis doctissimis viris ut tuum opus agnosco; grates meas, precor, referas singulis membris dignissimis, nec me hujus gratiæ immemorem fore unquam credas. Vale et me diligere ne desinas.

Parisiis die 7^{ma} Aprilis 1745.

Salutant te plurimum frater meus et D. Pater Laserre. Obiere D'Isnard et Aubriet, vidua Vaillant vivit, sicut Domina Basseporte quæ flores et herbas magnâ cum arte depingit. D. Clairaut, mathematicus præclarus, qui te in horto regio vidit et Suethicè allocutus est, salutem plurimam tibi dicit et deprecatur.

CLARISSIMO VIRO

DD. CAROLO LINNÆO,

PROFESSORI BOTANICES UPSALIENSI, ETC., ETC., ETC.,

S. P. D.

BERNARDUS DE JUSSIEU.

NOLUI hanc occasionem prætermittere, quâ iterum possum meum erga te studium testari; benevole igitur accipias pauca hæc quæ nunc mitto semina, meque promptum paratumque scias, mittendi alia si novero quæ tibi grata et utilia sunt. Nil novi apud nos in re naturali. Bella Musas silere jubent. Expeto tuam de Coralliis Balthicis dissertationem, cæterasque lucubrationes de Botanicâ, si forte apud vos prodierint in lucem. Salutatur te plurimum frater meus; ex toto pectore amplectitur te Pater Laserre, itineris quondam nostri comes. Vale et me diligere ne desinas.

Parisiis die 1^{ma} Maij 1745.

AMICO OPTIMO, VIRO ILLUSTRIS, PROFESSORI DIGNISSIMO

D. CAROLO LINNÆO

S. P. D.

BERNARDUS DE JUSSIEU.

HISCE literis tuam exoptulo benevolentiam pro D. Cleberg, qui nuperrime nuntium accepit de fato functo Litterarum Græcarum Professore in Regiâ Upsaliensi Universitate. Munus hoc adimplere cupit, paratus redire in patriam, tuum præcipue ambit